

les intra annum in sua domo decederet. Et concordat leg. Quod dicitur 38. ff. de testamento militis, ibi: "Quod dicitur, si miles intra annum quam missus est, necesse est, valere ejus testamentum, quod Jure militari fecerat, verum est, etiamsi post annum conditio institutionis extierit, mortuo eo intra annum. Et ideo si heredi filio substituerit, nihil interest, quando filius moriatur, sufficit enim patrem intra annum vobisse." Secundo, si quis ante militiam non Jure fecit testamentum, & miles factus in actuali expeditione bellica degens resignavit illud, & quaedam adjecit, si ve detrahit, vel alias manifesta est militis voluntas hoc valere volentis, tunc valet tale testamentum, ac si haberet omnes solemnitates: Communis, textu expresso in §. Sed si quis 4. Institut. de militari testamento. Tertio, testamentum in actuali expeditione bellica factum non subiacet legi Falcidiae: Communis, textu expresso in leg. Si certarum 17. §. 4. ff. de testamento militis. Quarto, non subiacet querelae inofficiosi testamenti: Communis, per text. in leg. Cum antiquis 37. cod. de inofficioso testamento. Quinto, possunt in eis institui haeredes etiam deportati, & fere omnes, qui testamenta facere non possunt: Communis, textu expresso in leg. Idem est 13. §. 3. ff. de testamento militis.

43 Testamentum rusticum potest ruri fieri coram quinque testibus, casu, quo rusticus in loco, ubi testatur, septem testes alios de Jure requisitos habere commode nequeat: Communis, textu expresso in leg. Et ab antiquis 31. cod. de testamentis ibi: "In illis vero locis, in quibus raro inveniuntur homines literati, per presentem legem rusticis concedimus antiquam eorum consuetudinem legis vicem obtinere, ita tamen ut ubi scientes literas inventi fuerint, septem testes, quos ad testimonium convocari necesse est, adhibeantur, minusque pro sua persona subscribat: Ubi autem non inveniuntur literati septem testes, etiam sine scriptura testimonium adhibentes admitti: Sin autem in illo loco minime inventi fuerint septem testes, usque ad quinque modis omnibus testes adhiberi jubemus, minus autem nullo modo concedimus: Si vero unus, aut duo, vel plures fuerint literati, liceat eis pro ignorantibus literas, presentibus tamen subscriptionem suam interponere: Sic tamen ut ipsi testes cognoscant testatoris voluntatem, & maxime quem, vel quos haeredes sibi relinquere voluerit; & hoc post mortem testatoris jurati deponant. Quod igitur quae rusticorum, sicut praedictum est, pro suis rebus disponerint, hoc omnimodo legum subtilitate remissa firmum, validumque consistat."

44 Dicitur testes pro testamento rustici debent esse literati, si haberi possint, & omnes se subscribere debent, ut clare patet ex expressis verbis textus adducti. "Ita tamen, ut ubi scientes literas inventi fuerint septem testes, quos ad testimonium convocari necesse est, adhibeantur, ut unusquisque pro sua persona subscribat."

45 Si autem non omnes septem, vel respective quinque, unus tamen, vel plures scribere scientes facile inveniri possint, debent illi loco aliorum literas ignorantium, ipsis presentibus, testamentum subscribere, ut expresse habetur ex adductis illis verbis: "Si vero unus, aut duo, vel plures fuerint literati, liceat eis pro ignorantibus literas, presentibus tamen, subscriptionem suam interponere."

46 Si vero nullus literatus haberi possit, potest rusticus etiam ore tenus coram septem testibus, si haberi possint, vel coram quinque, si septem commode haberi nequeant, valide testari per verba: Sic expresse ex illis verbis: "Ubi autem non inveniuntur literati septem testes, etiam sine scriptura testimonium adhibentes admitti: Sin autem in illo loco minime inventi fuerint septem testes, usque ad quinque modis omnibus testes adhiberi jubemus."

47 Testamentum rusticum coram paucioribus, quam quinque testibus, nullo modo valet, etiamsi fiat in loco, ubi quinque testes haberi non possunt: Sic expresse habetur ex illis verbis: "Usque ad quinque modis om-

nibus testes adhiberi jubemus, minus autem nullo modo concedimus."

48 Testes in testamento rustici eodem modo debent esse idonei, & qualificati, sicuti in aliis testamentis non privilegiatis; Reiffenstuel loc. cit. num. 121. cum variis aliis ibi citatis. Et ratio est, quia eo ipso, quod Jura pro testamento rustici dispensant solummodo in quantitate testium, videntur velle, quod dicti testes habeant etiam pro ipso eadem qualitates, quas habere debent pro aliis non privilegiatis, cum exceptio unius firmet Regulam in contrarium; leg. In iis ff. de Legibus, & leg. Quaesitum 12. §. 43. ff. de Instruendo, vel instrumentato legato. Et dispensationes sint odiosae, & ideo restringendae, nec extendendae de uno ad aliud, arg. cap. Si is 2. de filiis Presbyterorum in 6.

49 Rustici habitantes in pagis, ubi septem testes facile haberi possunt, sicuti si in urbe, vel oppido testamentum faciant, licet alios ordinarie ruri habitent, nullo gaudent ad id privilegio: Communis, testibus Julio Claro loc. cit. q. 56. n. 6. & Reiff. loc. cit. num. 219. Et ratio est, quia tunc non sunt in loco, ubi testes haberi nequeunt, ut ad tale privilegium requiritur cit. leg. Et ab antiquis 31. cod. de testamentis. Cessante autem ratione, & causa legis, cessat ipsa Lex; leg. Adigere 6. §. 2. ff. de Jure Patron. Cum ratio legis sit anima legis; leg. Cum ratio 7. ff. de bonis damnatorum.

50 An autem tali privilegio rusticorum gaudent etiam cives, & nobiles ruri recreationis gratia, vel alia de causa degentes, & ibi negotantes, ac ideo ibidem testantes? Controversia est inter Doctores. Varii enim apud Reiffenstuel loc. cit. num. 222. tenent absolute affirmativam sententiam, quia, dicunt, in his eadem militat ratio, defectus nempe testium, & consequenter eadem debet militare juris dispositio; leg. Illud 22. ff. ad legem Aquil. leg. Ideo 17. ff. de legibus, cap. Inter corporalia 2. de translatione Episcopi. Cum ratio legis sit anima legis; cit. leg. Cum ratio 7. ff. de bonis damnatorum. Clarus autem §. Testamentum quest. 56. n. 6. Bartolus in citat. leg. Et ab antiquis 31. cod. de testamentis, & Reiffenstuel loc. cit. ubi testatur de communi, tenent probabiliter negativam sententiam; & ratio est, quia in cit. leg. Et ab antiquis: tale privilegium est concessum rusticis, non solum ob defectum testium, sed etiam, & primario ob simplicitatem, & imperitiam rusticorum, ut patet ex verbis ipsiusmet legis, ibi: "Et ab antiquis legibus, & a diversis retro Principibus semper rusticitati consultum est, & in multis legum subtilitatibus stricta observatio eis remissa. . . Homines rustici, & quibus non est literarum peritia, quomodo possunt tantam legum subtilitatem custodire in ultimis suis voluntatibus? Ideoque ad Dei humanitatem respicientes, necessarium duximus per hanc legem eorum simplicitati subvenire." Tum quia ibidem subjungitur: "In quibus raro inveniuntur homines literati, per presentem legem rusticis concedimus." Unde hoc ipso, quod solis rusticis id concedatur, ceteris implicite negatur, quamvis per accidens existat etiam in loco, ubi literati non reperiuntur: Cum dispensationes legis sint odiosae, ac ideo restringendae, non extendendae de uno ad aliud, arg. cap. Si is 2. de filiis Presb. in 6. c. Odia 15. de Regulis Juris in 6.

Ad testamentum factum tempore pestis ita savientis, ut septem testes haberi nequeant, sufficienti quinque, vel etiam duo soli testes; Gailus l. 2. observ. 118. num. 18. dicens ita praefitari in Camera Imperiali, ita etiam Mysing. Cent. 1. observ. 96. Clarus loc. cit. q. 56. n. 6. Jason in cit. leg. Et ab antiquis 31. n. 3. 4. & 5. cod. de testamentis; Reiffenstuel loc. cit. n. 229. & plures alii. Et ratio est, quia, ubi clarus non habetur textus, optima legum interpretis est consuetudo, leg. Si de interpretatione 37. ff. de legibus, & cap. Cum dilectus 8. de consuetudine. Unde cum consuetudo, & praxi recepta in Camera Imperiali ex supracitatis Doctoribus habeat, quoad ad tale testamentum duo testes sufficientes, stat firma nostra conclusio.

51 Ino varii volunt, quod ad tale testamentum tem-

pore pestis adeo savientis ea sola sufficientes, quae de Jure nature, & gentium requiruntur, & consequenter hujusmodi testamentum coram duobus testibus factum in utroque foro subsistat: Sic Florianus in leg. Milites 15. cod. de testamentis militi. Portius §. final. Institut. de testamento. militi. Paulus Comitulos lib. 7. respons. moral. quest. 1. conclus. 2. & alii. Et ratio est, quia in casu necessitatis receditur a Jure communi, cum ipsi illa non subiacent; leg. Ubi absunt 19. ff. de tutoribus, & curatoribus, leg. Caesar 15. ff. de publicanis, & recitigalibus, & cap. Consilium 2. de observat. jejuniar. ibi: Cum non subiacet legi necessitas, cap. Sicut 11. dist. 1. de consecrat. ibi: Necessitas non habet legem, cum similibus. (Ex num. 48. nunc usque apposita per regulas generales suffulta, reperiuntur antecedenter comprobata: Vid. lit. A pag. 38. ex num. 1. ad 14. pag. 251. num. 7. lit. B pag. 329. n. 59. 364. n. 18. lit. C pag. 243. num. 17. Recognoscatur, lex 1. tit. 33. parti. 7. verb. Consuetudo: lit. D pag. 104. ex num. 60. lit. F pag. 79. num. 13. & inter alia verb. Jejunium.)

52 Siando tamen in preciso rigore Juris communis ad testamentum tempore pestis non ita savientis, quin haberi possint septem testes, & observari alia solemnitas alias requisitae, debent omnes tales solemnitates observari, & omnes dicti septem testes adhiberi, quamvis alioquin non omnes septem simul, & semel congregati esse debeant, sed successive venire possint, textu expresso in leg. Casus majoris 8. cod. de testamentis, ibi: "Casus majoris, ac novi contingentis ratione adversus timorem contagionis, quae testes deterreret, licet aliquid de Jure laxatum est, non tamen prorsus reliqua testamentorum solemnitas perempta est: Testes enim hujusmodi morbo oppressos eo tempore jungi, atque sociari remissum est: Non etiam conveniendi numeri eorum sublata est."

54 Testamentum Principi oblatum inter omnia privilegiatissimum, est illud, quod Testator prius absque ulla Juris solemnitate in Scripturam redigit, & postea Supremo Principi, vel ejus nomine Deputatis officio rogans, ut illud auctoritate Principis sustineatur. Sic in re Communis, per text. in leg. Omnium 19. cod. de testamentis.

55 Testamentum coram Principe factum aequè privilegiatum, est illud, quod testator coram Principe, vel ejus Deputatis ore tenus absque ulla Juris solemnitate facit, ultimam suam voluntatem declarando, seu manifestando, & rogando, ut Principis auctoritate sustineatur: Sic in re Communis, per text. in cit. leg. Omnium 19. cod. de testamentis. Unde, ut vides, non solum testamentum in scriptis jam factum Principi offerri, sed etiam ore tenus coram eodem potest fieri testamentum validissimum absque omni Juris solemnitate, ut tradit Communissima Doctorum.

57 Testamentum Principi oblatum, vel coram eo factum, est validissimum absque omni Juris solemnitate: Communis, per expressum textum in cit. leg. Omnium 19. cod. de testamentis, ubi dicitur, quod aequè securus sit testator, sive auribus privatorum adhibita solemnitate ordinaria, sive sine solemnitate ordinaria coram Principe testetur, ibi: "Aut auribus privatorum mentis suae postremum publicavit iudicium, ita nec de ejus unquam successione tractabitur, qui Nobis mediis, & toto Jure (quod in nostris est scriptis constitutum) teste succedit." Et ratio potissima est, quia, ut ibi dicitur, Principis auctoritas omnem solemnitatem superat: Eo vel maxime quod Princeps nunquam solus, sed semper Nobilibus, alisque omni exceptione majoribus personis stipatus existat, ibi: "Omnium testamentorum solemnitate superare videtur, quod insertum mera fide precibus inter tot nobiles, probatasque personas, etiam conscientiam Principis tenet."

58 Item privilegium est testamentum ad acta datum, & est illud, quod testator prius jam absque solemnitate factum, & in scripturam redactum Judici, vel deputatis ab eo offerri: Sic in re Communis, per text. in cit. leg. Omnium 19. cod. de testamentis.

59 Item privilegiatum est testamentum apud acta, seu coram actis factum, & est illud, quod testator facit

ore tenus suam ultimam voluntatem coram Judice, vel Deputatis ab eo, declarando, & manifestando: Sic in re Communis, per text. in cit. leg. Omnium.

Ad valorem testamenti ad acta dati, seu apud acta, vel coram actis facti, seu in loco Judici, sive extra illud, nulla alia requiritur Juris solemnitas: Dummodo alias legitime constet, & probari possit testamentum revera ad acta datum, seu apud acta, vel coram actis factum fuisse: Communis, per text. in cit. leg. Omnium 19. & leg. Sancimus 27. cod. de testamentis. Et ratio est, quia in tali testimonio auctoritas Judicis requisitas solemnitates supplet; immo superat, ut expresse dicitur in cit. leg. Omnium, ibi: "Omnium testamentorum solemnitatem superare videtur &c." Unde leg. In donationibus 31. cod. de donationibus, sic expresse statuitur: "In donationibus, quae actis insinuantur, non esse necessarium judicium vicinos, vel alios testes adhibere. Nam superfluum est privatum testimonium, cum publica monumenta sufficiant."

Testamenta Cardinalium sunt aequè privilegiata, ac testamenta militum: Card. de Luca de testamentis disc. 7. num. 7. Alban. de Cardinalibus q. 42. §. 2. Germon. de Sacros. Immun. lib. 3. cap. 6. numer. 66. Gratian. discept. 312. num. 11. Diana p. 5. tract. 2. de Cardinalibus c. 41. Barbos. lib. 1. Juris Eccles. univers. cap. 4. n. 101. cum aliis ibi citatis. Et in ipsis attenditur sola veritas naturalis: Rota in Romana Legati 14. Aprilis 1660. coram Priolo. Card. de Luca loc. cit. num. 8. Jacob. Gail. consil. 60. & alii. Atque sufficit sola schedularia scripta, vel suscripta manu Cardinalium absque testibus: Card. de Luca de testamentis disc. 14. numer. 8. Card. Petra tom. 2. Commentar. in Commentar. ad Constitut. X. Innocent. III. sect. 3. numer. 19. Abb. consil. 32. num. 2. & seq. lib. 2. Achill. de Grass. decis. 1. de testamentis, & alii.

Agit hic Autor de testamentis, in quibus remissus est rigor solemnitatum juris civilis. Libet verò aliqua addere de testamento ad pias causas.

Quod attinet ad testamentum ad pias causas, questionis est, an testamentum, in quo pia causa per fideicommissum vocata est, dici queat ad pias causas. De hac autem questione hic fuit sensus Rotae in Majoricensi. Immissionis 31. Jan. 1735. cor. Eminentiss. Crecentio: "Frustra (sunt ejus verba §. 5. & seq.) ad evitandam praedicti textus censuram impugnatur in hypothesis favor piae causae, ex quo Collegium nec directe institutum legeretur, neque substitutum sub aliqua conditione certo extirata, sed vocatum tantummodo sub duplici conditione, quod nempe Antonius primus haeres obiret sine filiis, quod isti sine liberis, ac descendentibus decederent, quod nunquam evenire quum posset, non erat proinde cur in his terminis dispositio diceretur ad pias causas ad effectum gaudendi illius privilegii &c. Assumptum namque procederet, & contrariae auctoritates locum haberent, ubi jus & vocatio piae causae adhuc sub incerta conditione maneret, ita ut privilegium respiceret prius commodum intermedie privatae Personae illud allegantis. Secus autem ubi prout in casu purificata jam conditione praesens ac certum est in causa piae, factusque jam locus illius substitutioni. In his quippe terminis nihil refert an directa, vel obliqua, an proxima, vel remota fuerit ab initio vocatio ejusdem causae piae ad hoc ut testamentum non subiacet censurae Juris civilis, ejusque solemnitatibus &c." Confer etiam confirmatorium 13. Aprilis 1726. §. Neque, & plur. seq. cor. eod.

Num privilegium testamenti ad causas pias ad legata profana in eo contenta etiam extendatur, acerrima questio est. Affirmativam opinionem pluribus cumulata 68 tenet Lanfredin. Respons. Eccles. 4. num. 11. ea de ratione: "Quod propter individuitatem testamenti, & immutabilem rationem justitiae, cuius Ecclesiae cultrix esse debet, validitas ex pia causa ratione inducitur legatarii profanis communicetur, & quaecumque dispositio in testamento ubi pia causa sit instituta, executioni demandanda sint."

In concernentibus verò voluntatem, nullum est privilegium piæ causæ. Utile propterea est nosse quando schedula ad piâs causas continet perfectam dispositionem, & quando præparationem ad disponendum. Vide tamen Lanfræd. Respons. Eccles. 29. num. 16. & plur. seq. Rot. in Anconitana Legati pii 18. Junii 1742. cor. Reverendiss. Molin.

ARTICULUS III.

Testamentum quoad ea, quæ concernunt illos, qui possunt, vel non ipsam facere, hæredes in ipso institui, & ejusdem Executorum esse, eorumque obligationem.

SUMMARIUM.

1. Qui possunt facere testamentum, ad num. 43.
 44. Qui possunt vel non hæredes institui, remissivè.
 45. Executores testamentorum qui sint & dicantur, quales, & quot possint nominari: si non fuerit deputatus, quis erit: fœmine an possint hoc munus obtinere, ad num. 51.
 52. Minores & Religiosi an valeant idem exercere: cui isti rationem administrationis reddere teneantur, ad num. 61.
 62. Executor nominatus ordinariæ nequit ad acceptandum, & exequendum tale munus compelli: quando possit: intra quod tempus exequi ultima debet voluntas: à quo iudice potest executor compelli: quid si plures sint executores, & aliquis sit mortuus eorum, absit, seu noli exequi, ad num. 68.
 69. Quid liceat executoribus in mutatione & commutatione relictorum: quas penas incurrant, si in adimplemento ultime voluntatis negligentes fuerint, ad num. 71.
 72. Executores seu hæredes quo ordine legata pia in testamento relicta debent distribuere, remissivè.
 73. Additiones subsequuntur, ad num. 74.

Quilibet testamentum facere potest, qui nec Jure naturali, nec positivo prohibetur: Communis, per textum expressum in leg. Hæbet unusquisque 1. Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis, & leg. Ex factò 43. in princip. ff. de vulgari, & pupillari substitut. ubi dicitur, iniquum esse auferre testamenti factionem homini sanæ mentis, ibi: "Etenim iniquum incipit fieri beneficium Principis, si adhuc id valere dicamus; auferret enim testamenti factionem homini sanæ mentis."

Jure nature testamentum facere non possunt infantes ante septennium, utpote usu rationis carentes; qui usus rationis de Jure nature requiritur, ut actus humanus valeat: Communis, arg. §. Præterea 1. Instit. Quibus non est permittum facere testamentum, ibi: Item furiosi, quia mente carent, & concordant l. In eo 2. §. leg. In adversa 16. ff. Qui testamenta facere possunt.

Item testamentum facere non possunt furiosi, amentes, mente capti, ac omnes, qui usu rationis carent, eo tempore, quo usu rationis actualiter privati existunt: Communis, per textum expressum in cir. §. Præterea 1. Instit. "Quibus non est permittum facere testamentum, nisi: Item furiosi, quia mente carent, leg. In eo 2. ff. Qui testamenta facere possunt, ibi: In eo qui testatur, ejus temporis, quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas exigenda est; leg. In adversa 17. ff. eod. ibi: In adversa corporis valetudine mente captus eo tempore testamentum facere non potest." Et concordant leg. Furiosum 9. Cod. Qui testamenta facere possunt, & leg. Furiosi 40. ff. de Regulis Juris.

Valet tamen testamentum ab ipsis factum, antequam essent furiosi, amentes, mente capti, seu usu rationis privati: Communis, textu expresso in cir. §. Præterea 1. Instit. "Quibus non est permittum facere testamentum, nisi: Certe eo, quod ante furorē fecerint, valente testamento; leg. Qui testamenta 20. §. 4. ff. Qui testamenta facere possunt, ibi: Testamentum quoque, quod ante furorē consummavit, valebit.

Valet etiam testamentum ab ipsis factum tempore,

quo habent lucida intervalla: Communis, textu expresso in cir. §. Præterea, ibi: "Furiosi autem, si per id tempus fecerint testamentum, quo furor eorum intermissus est, Jure testati esse videntur, leg. Furiosum 9. Cod. Qui testamenta facere possunt, ibi: Si verè voluerit in dilucidis intervallis aliquod condere testamentum, vel ultimam voluntatem, & hoc sana mente incoepit facere, & consummaverit, nullo tamen morbo interveniente, stare testamentum, sive quamcumque ultimam voluntatem censemus, si & alia omnia accesserint, quæ in hujusmodi actibus legitima observatio requirit."

Dummodo tamen durante lucido intervallo totum absolvant; aliàs, si, durante actu testandi, in furorē, amentiam, vel insaniam, seu usus rationis privationem incidant, totum testamentum quoad causas profanas est nullum: Communis, textu expresso in cir. leg. Furiosum, ibi: "Si cepto testamento furor eum invasit, sancimus tale testamentum hominis, qui in ipso actu testamenti adversa valetudine tenus est, pro nihilo esse."

Item testamentum facere non potest mutus, & surdus simul à nativitate; secus autem si ex accidenti, modo scribere sciat; vel si mutus, aut surdus tantum sit, & voluntatem suam scripto declarare possit: Communis, textu claro in §. Item surdus 3. Instit. Quibus non est permittum facere testamentum, leg. Qui in potestate 6. ff. Qui testamenta facere possunt; leg. Discretis 10. Cod. eod.

Item testari non potest cæcus, nisi nuncupative, & observatis solemnitatibus, quæ describuntur in leg. Hac consultissima 8. Cod. Qui testamenta facere possunt: Communis, per textum expressum in dict. leg. Hac consultissima.

Item testamentum facere non potest prodigus, cui à Jure interdita est bonorum administratio: Communis, textu expresso in §. Item prodigus 2. Instit. Quibus non est permittum facere testamentum, & leg. Is, cui 18. ff. Qui testamenta facere possunt.

Item testamentum facere non potest servus, si vo mancipium: Communis, textu claro in leg. Filiusfamilias 16. & leg. Si Filiusfamilias 19. ff. Qui testamenta facere possunt, & cap. Illud 5. caus. 13. quest. 2.

Item testari non potest captivus, vel obses apud hostes detentus: Communis, textu expresso in §. Ejus, qui 5. Instit. Quibus non est permittum facere testamentum, leg. Ejus, qui 8. & leg. Obsides 11. ff. Qui testamenta facere possunt.

Item testari non potest damnatus ad mortem naturalem, vel civilem: Communis, textu expresso in leg. Ejus, qui 8. §. 1. & 2. ff. Qui testamenta facere possunt, & leg. Si quis 6. §. 6. ff. De injusto, rupto, irrito factio testamento.

Item testamentum facere non possunt impuberes, masculi ante annum 14. & fœminæ ante annum duodecimum completum: Communis, textu claro in leg. Si frater 4. Cod. Qui testamenta facere possunt, leg. A qua ætate 5. ff. Qui testamenta facere possunt, & §. Præterea 1. Instit. Quibus non est permittum facere testamentum, ibi: "Præterea testamentum facere non possunt impuberes, quia nullum eorum animi iudicium est."

Item filiusfamilias, qui sub patris potestate est, non potest testari, nisi de bonis castrensibus Jure militari, & quasi castrensibus, servatis solemnitatibus Juris communis, si pubes sit: Communis, per textum in leg. Nemo 11. junctâ Glossa ibid. verb. Certis, & leg. Omnes 12. Qui testamenta facere possunt. De bonis verò adventitiis testamentum facere non potest, nequidem patre consentiente, textu expresso in leg. Qui in potestate 6. ff. Qui testamenta facere possunt, & princip. Instit. Quibus non est permittum facere testamentum.

Item damnati ob libellum famosum testari non possunt: Communis, textu expresso in leg. Is, qui 18. §. 1. ff. Qui testamenta facere possunt, ibi: "Si quis

ob carmen famosum damnetur, Senatus consulto expressum est, ut intestabilis sit, ergo nec testamentum facere poterit." leg. Ob carmen 21. ff. de testibus, ibi: Ob carmen famosum, damnatus intestabilis fit.

Item testari non possunt Rei criminis læsæ majestatis, id est, qui hostile quid contra Supremum Principem, vel ejus Communitates moluntur: Communis, textu expresso in leg. Quisquis 5. Cod. Ad Leg. Julianam Majestatis.

Item testari prohibentur hæretici: Communis, textu expresso in leg. Manichæus 4. & leg. Ariani 5. Cod. de Hæreticis. Et idem est dicendum de receptoribus, defensoribus, & fautoribus ipsorum hæreticorum: Authent. Credentes Cod. eod. ibi: "Præterea receptatores, & defensores, & fautores hæreticorum... quilibet tantum... sit etiam intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem; nec ad hæreditatis successionem accedat," cap. Excommunicatus 13. §. Credentes, de hæreticis. Advertendum tamen est, quod vi pacis Vespalicæ, Lutherani & Calvinisti in Imperio tolerati sint testandi, & aliorum Jurium civilium capaces.

Item testari prohibentur usurarii publici, & manifesti, nisi prius usuras restituant, aut de restitutione faciendi idoneam cautionem præstent: Communis, textu expresso in cap. Quamquam usurarii 2. de usuris in 6.

Item testari prohibentur omnes hostiliter insequentes, percutientes, aut offendentes S. R. E. Cardinalem: Communis, textu expresso in cap. Felices 5. de penis in 6.

Item non desunt Doctores volentes, quod omnes excommunicati norarii, & vitandi testari non possint. At communis sententia tenet contrarium, quia nullibi id reperitur in Jure expressum, cum eorum actus privati non sint irriti, iis tamen exceptis, qui excommunicati sunt propter hæresim, ob dicta supra num. 18. Sic de communis testatur Pirhing. loc. cit. num. 25. in fine, & Reiffenstuel loc. cit. num. 319.

Qui sunt inhabiles ex natura ad testandum, ut infantes, amentes, insani, furiosi, muti & surdi simul à nativitate, testamenta facere nequeunt neque ad causas piâs: Communis, teste Reiff. loc. cit. num. 320.

Qui autem ad testandum sunt inhabiles solum de Jure civili, possunt valide testari quoad causas piâs de iis bonis, quorum perfectum dominium adhuc habent, Riccius in praxi aurea part. 4. resolut. 88. Bartolus in leg. 1. Cod. de sacrosanctis ecclesiis, Engel lib. 3. Decretal. tit. 27. numer. 4. Reiffenstuel ibid. numer. 321. cum Molina, Lessio, Sanchez ibi citatis, & alii arg. leg. Hæbetur 1. Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis, ubi Constantinus Imperator Unicusque absque limitatione, consequenter etiam aliis inhabilibus de Jure civili concedit licentiam testandi ad piâs causas: Natura enim hujus dictionis Unusquisque est neminem excludere; leg. Hoc articulo 29. ff. de hæreditibus instituentis, ibi: Hoc articulo quisque omnes significatur: Tum quia testamentum ad piâs causas nullo modo subiacet dispositioni Juris civili, sed secundum canones, Juraque naturæ, & gentium judicandum est, textu expresso in cap. Relatum 11. de testamentis.

Fuit autem notanter dictum: De iis bonis, quorum perfectum dominium adhuc habent, quia de bonis jam propter delicta amissis, & Fisco addictis neque ad causas piâs testari possunt, ut præsertim patet de reis criminis læsæ majestatis, de hæreticis, eorumque fautoribus, qui cum illico bona sua amittant, eaque Fisco cedere debeant, neque ad causas piâs de ipsis, utpote non amplius suis, testari possunt, ut notat Reiffenstuel loc. cit. num. 324. Ubi num. 325. subdit, quod prodigi, impuberes, iudicium naturale sufficiens ad peccatum mortale jam habentes, & damnati ad mortem, quorum bona non confiscantur, testari possint ad causas piâs.

Clerici seculares omnes, tam majores, quam minores, æque ac laici, facere possunt testamentum de bonis suis patrimonialibus, & quasi patrimonialibus, & industrialibus: Communis, textu expresso in cap. Quia nos 9. de testamentis, ibi: "Considerationi tuæ respondemus, quod Clerici de his, quæ paternæ successione, vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, libere disponere valeant: De his tamen, quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de Jure facere possunt testamentum." Et concordant cap. Episcopi 19. caus. 12. quest. 1. & cap. Placuit 1. & cap. Quicumque 2. ead. caus. 12. quest. 2.

Clerici seculares testamentum facere possunt etiam de bonis parsimonialibus: S. Thomas 2. 2. quest. 185. articulo 7. in respons. ad 2. Covarrub. de testamentis, cap. 7. num. 9. Navarr. de redditibus eccles. quest. 1. numer. 26. & 44. Pirhing. loc. cit. num. 33. Reiffenstuel loc. cit. num. 327. Barbosa in cap. Cum in officis 7. num. 3. de testamentis, & ipso teste Communis aliorum, argum. cit. cap. Episcopi 19. caus. 12. quest. 1.

Clerici de bonis ecclesiasticis superfluis, seu de fructibus beneficii de Jure nullum penitus testamentum, nec ad causas piâs facere possunt: Communis, textu expresso in cir. cap. Quia nos 9. de testamentis, ibi: "De his tamen, quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de Jure facere possunt testamentum." Et concordant cap. Quorundam 1. cap. Cum in officis 7. cap. Ad hæc 8. cap. Relatum 12. de testamentis. Vide verb. Beneficiarius arti. 3. num. 1.

Notanter autem dicitur, Clericum de bonis ecclesiasticis nec ad causam piâam testari posse de Jure, quia de consuetudine legitima potest introduci, ut Clerici seculares de bonis ecclesiasticis superfluis ad causas piâs valide, & licite testari possint: Communis, Vide dict. verb. Beneficiarius arti. 3. num. 2.

Non possunt tamen Clerici seculares, sive majores, sive inferiores, neque vi consuetudinis licite, vel valide testari de bonis ecclesiasticis superfluis in notabili quantitate ad causas profanas. Nec hæres profanus potest tuta conscientia talem hæreditatem recipere, & retinere, sed si eam accipiat, tenetur ex Justitia, eam iterum restituere. Vide dict. verb. Beneficiarius arti. 3. ad num. 3. ad num. 7. & arti. 1. ad num. 36. ad 62.

Clerici autem incolæ, & cives Urbis Romanæ, qui in ea, vel ejus districtu decesserint, possunt liberè, & licite, tam inter vivos, quam mortis causa, de bonis ecclesiasticis superfluis disponere, etiam ad causas profanas: Vide dict. verb. Beneficiarius arti. 3. numer. 8. & 9.

Regulares omnes professi, tam Superiores, quam subditi, nequeunt ullum facere testamentum: Communis, de certa. Vide verb. Regulares arti. 1. num. 61.

Neque Regulares testari possunt ad piâs causas: Communis. Vide ibid. num. 63.

Immo neque de licentia Prælati, seu Superioris: Communis. Vide ibid. num. 64.

Nec possunt Regulares testari, etiamsi ante professionem sibi aliquam summam suorum bonorum reservassent cum facultate testandi: Communis. Vide ibid. num. 65.

Quinimmo Regularibus professis neque licet testamentum à se conditum ante emissam professionem moderare per viam declarationis. Vide ibid. num. 66.

Possunt autem Regulares professi testamentum à se factum ante professionem interpretari, & declarare, si declaratione, aut interpretatione egeat, quia hoc non est disponere de aliquibus bonis, sed declarare, & explicare dispositionem à se factam; quando poterant illam facere: Novatius in Lucerna Regularium verb. Testamentum num. 7. Portellus in dubiis Regulariarum, verb. Testamentum numer. 2. Lezana in Summa 49. Regular. verb. Testamentum numer. 2. Rodriquez tom. 3. quest. 66. arti. 3. Sanchez lib. 7. moral. cap. 11. num. 16. Gozzadin. consil. 41. num. 15. 16. & 17. Reginal. lib. 18. cap. 27. num. 397. Moneta de commutat. ultim. voluntat. cap. 5. quest. 1. num. 14. Barbosa ad Concil. Trid. sess. 25. de Re-

industrialibus: Communis, textu expresso in cap. Quia nos 9. de testamentis, ibi: "Considerationi tuæ respondemus, quod Clerici de his, quæ paternæ successione, vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, libere disponere valeant: De his tamen, quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de Jure facere possunt testamentum." Et concordant cap. Episcopi 19. caus. 12. quest. 1. & cap. Placuit 1. & cap. Quicumque 2. ead. caus. 12. quest. 2.

Clerici seculares testamentum facere possunt etiam de bonis parsimonialibus: S. Thomas 2. 2. quest. 185. articulo 7. in respons. ad 2. Covarrub. de testamentis, cap. 7. num. 9. Navarr. de redditibus eccles. quest. 1. numer. 26. & 44. Pirhing. loc. cit. num. 33. Reiffenstuel loc. cit. num. 327. Barbosa in cap. Cum in officis 7. num. 3. de testamentis, & ipso teste Communis aliorum, argum. cit. cap. Episcopi 19. caus. 12. quest. 1.

Clerici de bonis ecclesiasticis superfluis, seu de fructibus beneficii de Jure nullum penitus testamentum, nec ad causas piâs facere possunt: Communis, textu expresso in cir. cap. Quia nos 9. de testamentis, ibi: "De his tamen, quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de Jure facere possunt testamentum." Et concordant cap. Quorundam 1. cap. Cum in officis 7. cap. Ad hæc 8. cap. Relatum 12. de testamentis. Vide verb. Beneficiarius arti. 3. num. 1.

Notanter autem dicitur, Clericum de bonis ecclesiasticis nec ad causam piâam testari posse de Jure, quia de consuetudine legitima potest introduci, ut Clerici seculares de bonis ecclesiasticis superfluis ad causas piâs valide, & licite testari possint: Communis, Vide dict. verb. Beneficiarius arti. 3. num. 2.

Non possunt tamen Clerici seculares, sive majores, sive inferiores, neque vi consuetudinis licite, vel valide testari de bonis ecclesiasticis superfluis in notabili quantitate ad causas profanas. Nec hæres profanus potest tuta conscientia talem hæreditatem recipere, & retinere, sed si eam accipiat, tenetur ex Justitia, eam iterum restituere. Vide dict. verb. Beneficiarius arti. 3. ad num. 3. ad num. 7. & arti. 1. ad num. 36. ad 62.

Clerici autem incolæ, & cives Urbis Romanæ, qui in ea, vel ejus districtu decesserint, possunt liberè, & licite, tam inter vivos, quam mortis causa, de bonis ecclesiasticis superfluis disponere, etiam ad causas profanas: Vide dict. verb. Beneficiarius arti. 3. numer. 8. & 9.

Regulares omnes professi, tam Superiores, quam subditi, nequeunt ullum facere testamentum: Communis, de certa. Vide verb. Regulares arti. 1. num. 61.

Neque Regulares testari possunt ad piâs causas: Communis. Vide ibid. num. 63.

Immo neque de licentia Prælati, seu Superioris: Communis. Vide ibid. num. 64.

Nec possunt Regulares testari, etiamsi ante professionem sibi aliquam summam suorum bonorum reservassent cum facultate testandi: Communis. Vide ibid. num. 65.

Quinimmo Regularibus professis neque licet testamentum à se conditum ante emissam professionem moderare per viam declarationis. Vide ibid. num. 66.

Possunt autem Regulares professi testamentum à se factum ante professionem interpretari, & declarare, si declaratione, aut interpretatione egeat, quia hoc non est disponere de aliquibus bonis, sed declarare, & explicare dispositionem à se factam; quando poterant illam facere: Novatius in Lucerna Regularium verb. Testamentum num. 7. Portellus in dubiis Regulariarum, verb. Testamentum numer. 2. Lezana in Summa 49. Regular. verb. Testamentum numer. 2. Rodriquez tom. 3. quest. 66. arti. 3. Sanchez lib. 7. moral. cap. 11. num. 16. Gozzadin. consil. 41. num. 15. 16. & 17. Reginal. lib. 18. cap. 27. num. 397. Moneta de commutat. ultim. voluntat. cap. 5. quest. 1. num. 14. Barbosa ad Concil. Trid. sess. 25. de Re-

E 2

gularibus. cap. 16. n. 21. cum aliis ibi citatis: Vide verb. Novitius num. 55.

18 Novitius potest revocare testamentum a se factum, sive ante, sive post ingressum Religionis, & durante Novitatu aliud condere: Vide dict. verb. Novitius num. 50.

39 Novitius in testamento nihil potest sibi reservare ad effectum testandi de illo post professionem: Vide *ibidem* num. 51.

40 Potest tamen Novitius in suo testamento præcipere, ut aliquid ejus bonis etiam post professionem suam quotannis expendatur in pios usus, seu quod alicui solvatur annuum legatum, vel ne quid de eis alienetur, & hujusmodi: Vide *ibidem* num. 52.

41 Si Novitius ante professionem testari omittat, succedit in ejus bona, actiones, & Jura monasterium, si sit capax honorum: Si autem monasterium sit incapax, succedunt consanguinei ab intestato: Vide *ibidem* num. 53.

42 Post professionem emissam non potest Religiosus testamentum ante professionem factum revocare, quamvis, ut supra dictum est, possit ipsum declarare: Vide *ibidem* num. 54. & 55.

43 Novitii possunt, sive ante ingressum Religionis, sive etiam tempore Novitatus testamentum condere, etiam ante duos menses proxime præcedentes professionem, & sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, non obstante decreto Concilii Tridentini sess. 25. cap. 16. de Regularibus, quia ibi non admittit illis facultas testandi, sed solum disponendi inter vivos, non servatis illis, quæ ibi præscribuntur: Vide verb. Novitius n. 35.

44 Qui possint, vel non hæredes institui in testamento? Vide verb. Hæres per tot.

45 Executores testamentorum sunt, & dicuntur illi, qui vel ex dispositione legis, vel testatoris, vel Judicis, exequuntur defuncti voluntatem: Sic in re Communis.

46 Executores testamentorum alii sunt legitimi, alii testamentarii, alii dativi. Executores legitimi sunt, & dicuntur illi, qui ab ipsa lege, seu Jure dantur, sive quibus munus exequendi à lege competit. Executores testamentarii sunt, qui ab ipso testatore in testamento designantur, seu deputantur. Executores dativi sunt, qui à Jure, vel Magistratu dantur casu, quo hæres institutus executor esse nequeat, aut designatus in testamento munus exequendi accipere nolit, vel non possit: Ita in re Doctores communiter; arg. tot. tit. ff. de testament. Tut. & tit. ff. de tutoribus, & curatoribus, ubi tutores alii sunt legitimi, alii testamentarii, alii dativi.

47 Si nullus à testatore sit designatus, seu deputatus in testamento executor, ipso Jure executor, est ejus hæres, qui de Jure debet integram defuncti voluntatem etiam quoad legata exequi: Communis, arg. cap. Nos quidem 3. & cap. Si hæredes 6. de testament. leg. Nulli 28. Cod. de Episcop. & Cleric. & Novell. 134. cap. 11.

48 Excipiuntur tamen ea, quæ pro redemptione captivorum, vel pauperum alimentis, aut aliis causis piis relicta sunt: Horum enim executio, non ad hæredes, sed ad Episcopum loci, tamquam patrem pauperum, & miserabilium personarum, ac piarum defunctorum voluntatum Executorem de Jure pertinet, si nullus alius sit executor designatus: Sicut etiam si hæres, aut executor designatus voluntatem defuncti exequi negligat: Abbas in cit. cap. Nos quidem numer. 4. Covarrub. *ibidem* num. 8. Silvester verb. Testamentum 2. quest. 3. Molina de Justitia disp. 247. num. 4. Layman lib. 3. tract. 6. cap. 11. num. 4. Pirhing. loc. cit. num. 101. Reiffenstuel loc. cit. num. 774. & 775. & alii passim, per text. in cap. Nos quidem 3. cap. Si Hæredes 6. & cap. Tua nobis 2. de testament. leg. Hæredes 50. ad finem ff. de petit. hered. leg. Nulli 28. Cod. de Episcop. & Cleric. & Novella 131. cap. 10. & 11. Et Conc. Trid. sess. 22. cap. 8. de reform. ibi: "Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati in casibus à Jure concessis omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, sint executores."

Immo Episcopus potest compellere executores testamentarios ad exequendas piis voluntates defunctorum, etiamsi testator hoc interdixisset: Communis, textu expresso in cap. Tua nobis de testamentis, ibi: "Cum igitur in omnibus piis voluntatibus sit per locorum Episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet etiam à testatoribus interdingeret interdici: Mandamus, quatenus executores testamentorum hujusmodi, ut bona ipsa fideliter, & plenarie in usis prædictis expendant, mentione præmissa compellat, juncto ejus Summario sic expresse dicente ibi: Episcopus compellit fideicommissarios, seu executores testamenti ad exequendas piis voluntates defunctorum, etiamsi testator hoc interdixisset." Et sic plures decrevit Sacra Congregat. Concilii. Vide verb. Administrator à num. 3. ubi referuntur decreta.

Executores testamenti deputari possunt à testatore unus, vel plures, sive ex hæredibus, sive ex extraneis, sive Clericis, sive Laicis: Molina loc. cit. numer. 102. Reiffenstuel loc. cit. num. 776. & alii communiter, per text. in cap. Joannes 19. de testamentis, ibi: Joannes Clericus, & P. Laicus Executores ultime voluntatis, & concordat cap. Tua nobis 17. eodem.

Etiam femina esse possunt Executrices testamentorum: Communis, cum supracitatis Doctores, per text. in cap. Nos quidem 3. de testamentis, & leg. A filio 15. ff. de Aliment. legat.

Item etiam minores 25. annis possunt esse executores, dummodo septemdecim annos excesserint. Hæc enim ætas sufficit, ut quis sit Procurator ad negotia; cap. Qui generaliter 5. §. final. de Procuratoribus in 6. Sic Covarrub. loc. cit. num. 4. Molina loc. cit. num. ult. Pirhing. loc. cit. num. 102. Reiffenstuel loc. cit. num. 776. & alii passim.

Executores testamentarii possunt esse etiam Religiosi omnes (exceptis FF. Minoribus) dummodo ad id licentiam habeant à legitimo suo Superiore: Communis, per clarum textum in cap. Religiosus executor 2. de testamentis in 6. & Clementina Religiosis, de testamentis. Per Superiorem autem, qui talem licentiam dare potest, intelligitur Superior Localis, seu Prelatus conventus, monasterii, aut domus religiose, nisi speciales constitutiones alicujus Religionis aliud ordinet: Pirhing. loc. cit. num. 108. Reiffenstuel loc. cit. num. 777. Sanchez lib. 6. moral. cap. 11. num. 15. & 16. Franc. in cit. cap. Religiosus executor num. 1. Layman loc. cit. & alii passim.

Si Religiosus absque licentia Superioris munus executoris testamentarii, sive ad causas profanas, sive ad causas piis suscipiat, & peragat, adhuc per eum gesta sunt valida: Felini in cap. 2. de Judicis, Layman loc. cit. cap. 11. numer. 5. Pirhing. loc. cit. numer. 109. Sanchez loc. cit. cap. 11. num. 44. Barbosa lib. 1. Jur. eccl. anteq. cap. 42. numer. 65. Azorius tom. 1. Instit. moral. lib. 12. cap. 11. quest. 1. Lezana in summa quest. Regul. verb. Testamentum quoad Regulares num. 4. & alii plures. Et ratio est, quia licet sacri canones prohibeant, tamen non annullant executionem à Religioso absque licentia Superioris factam, adeoque talis executio est quidem illicita, & peccaminosa, sed non est irrita, & invalida: Tum quia quamvis Religiosus velle, & nolle non habeat, cap. Si Religiosus 27. de electio. in 6. & cap. Religiosus 2. de testamentis in 6. cap. Religiosi 5. de repleturis in 6. habet tamen consensum naturalem, qui una cum consensu testatoris sufficiens esse videtur ad hoc officium; arg. leg. Filisfamilias 3. Veterani ff. de Procuratoribus; ubi deciditur, quod licet miles esse nequeat Procurator in Judicio, tamen, si non repellatur, actus ab eo gestus valet.

Oppositum tamen non improbabili tenent Covarrub. de testament. cap. 17. num. 2. Molina loc. citat. num. 9. Silvester loc. cit. quest. 2. dist. 3. Franc. in cit. cap. Religiosus 2. num. 2. de testamentis in 6. & alii, cum quibus videtur inclinare Reiffenstuel loc. cit.

num. 276. quamvis num. 278. dicat quod aliam sententiam affirmativam cum communi aliorum tenet Felinus in cap. 2. de Judicis, Layman loc. cit. num. 5. Pirhing. loc. cit. num. 109. Sanchez loc. cit.

57 Fratres Minores nullatenus possunt esse executores testamentorum, neque ad causas profanas, neque ad causas piis, neque à Superioribus potest eis ad id licentia concedi: Communis, textu expr. in Clementina Exivi cap. 5. Verum etiam de verb. significatione, ibi: "Prædictis fratribus non licet, nec competit, quia pontius (considerata sui puritate status) debent sibi scire interdictionem, quod hujusmodi executionibus, & dispositionibus se exponant, cum hæc sæpius absque litigio, & contradictione, vel administratione pecunie, nequeant expediti."

58 Possunt tamen Fratres Minores dare ad id consilium executoribus à testatore deputatis: Communis, textu expresso in cit. Clementina Exivi cap. 5. Verum etiam, ibi: "Verumtamen in his exequendis dare consilium ipsorum statui non obsistit, cum ex hoc ipsi circa bona temporalia nulla Jurisdicção, sive actio in Judicio, sive dispensatio tribuatur."

59 Insuper potest testator committere alicui Fratri Minori, ut ipse denominet unum, vel plures executores. Et etiam præcipere potest executoribus, ut non nisi illis pauperibus, vel causis piis hereditate, vel legata distribuatur, quos dicit Frater Minor elegerit, designaverit, vel denominaverit. Et in tali casu id licite Frater Minor perageret: Sic Barbosa in cit. Clementina Exivi num. 26. Covarrub. de testamentis cap. 17. num. 1. Abbas in Clement. Religiosus num. penult. de Relig. Sanchez lib. 6. moral. cap. 11. n. 32. & 41. Rodria. quest. regular. tom. 3. quest. 70. art. 2. Reiffenstuel loc. citat. n. 783. Bartolus ibi cit. & alii contra Molinam, & alios à Sanchez citatos, & ratio est, quia in tali casu cessat motum, & ratio prohibitionis, cum hoc munus sine ullo litigio, & contradictione, vel administratione pecunie omnino exequi valeat Frater Minor, ut de se patet; cessante autem ratione, & causa legis, vel obligationis, cessat lex, seu obligatio ipsa; leg. Adigere 6. §. 2. De Jure Patron. Cum ratio legis sit anima legis; leg. Cum ratio 7. de bonis damnatorum, adeoque &c.

Hinc concludit, quod testatorum voluntates Fratres Cappuccini, & alii Minoritæ exequi possunt, nominando, vel eligendo ad seminaria, Sic Sacra Congregatio Concilii in Papien. Subsidii dotalis die 18. Augusti 1731. ex Bullario Cappuccinorum. tom. 1. p. 187. ubi refertur integra hæc causa cum sua resolutione, & egregiis notis. Vide etiam nostr. t. 10. in Appendice Resolutionum Sac. Congr. Conc.

60 Regulares executores testamentarii, seu ultimorum voluntatum, tenentur reddere rationem administrationis, seu executionis Episcopo; & si in hoc deliquerint, possunt ab ipso puniri: Communis, textu expresso in Clementina Religiosis, de testamentis, ibi: "Religiosis etiam exemptis deputatis ad executionem cujuslibet ultimæ voluntatis circa ipsius executionis Officium (quod hujusmodi non possunt, nisi à Superiore suo petita super hoc licentia & obtemperat) volentes præstare materiam delinquendi, Pontificia constitutionis auctoritate statuimus, quod tales (etiamsi Prelationis fungantur officio) locorum Ordinarii debitam reddere, ipsique Ordinarii ab eisdem absque dolo, fraude, seu negligentia de susceptæ executionis officio remaneant exigere rationem, illos, quos circa id deliquisse reperirent, in aliorum exemplum poena (quocumque non obstante privilegio) puniri."

Immo regulares executor ultimæ voluntatis defuncti, quamvis ei secreto communicat, tenent adhuc Episcopo requirenti aperire summam, & circa quæ sit distribuenda, ac rationem administrationis reddere, & tunc est eisdem fides adhibenda, si juratus deponat, & concurrant probabiles conjecturæ de verisimili voluntate testatoris, Sic expresse Fagnanus in cap. Tua nobis 17. de testamentis num. 61. testans hunc casum suo tempore contigisse Mediolani, & in hæc senten-

tiam à Sacra Congreg. Conc. scriptas fuisse literas ad Cardinalem Borromæum Archiepiscopum.

Executor designatus, seu deputatus à testatore non potest ordinarie compelli ad acceptandum, & exequendum tale munus, sive dispositio sit ad causam profanam, sive ad causam piam. Postquam tamen acceptavit expresse, vel tacite, omnino etiam invitus cogi potest, ut defuncti voluntatem exequatur: Abbas in cap. Joannes 19. num. 3. de Testamentis, Covarr. *ibidem* n. 3. Molina disp. 248. n. 3. Pirhing. loc. cit. n. 113. Reiffenstuel num. 784. & alii communiter, arg. cit. cap. Joannes 19. de testament. ibi: Post susceptum mandatum cogi debent. Et ratio est, quia universaliter loquendo, ut expresse habetur §. Mandatum 11. Instit. de mandato: "Mandatum non suscipere cuilibet liberum est, susceptum autem consummandum est."

Dicitur autem notanter Ordinarie, quia aliquando ob rationabilem causam potest Episcopus Clericum in testamento executorem designatum compellere, ut tale munus suscipiat, præsertim ad exequenda pia legata, si non ut executorem testamentarium, saltem ut delegatum, seu commissarium suum, arg. cap. Pastoralis 28. de Officio delegat. Et ratio est, quia universaliter potest Episcopus, quando ipsi aliqua executio competit, munus suum alteri delegare, & delegatum, ut obediat, si sit suus subditus, compellere: Sic Abbas loc. cit. Silvester verb. Testamentum 2. q. 3. dist. 1. & alii supracitati, arg. leg. In casuum delegationibus Cod. Qui pro sua Jurisdicção. Et ita Judex laicus ob rationabilem causam poterit interdum laicum suum subditum cogere ad munus executoris suscipiendum, & exequendum: Sic citati Doctores, arg. cit. leg. In casuum delegationibus.

Executores tenentur quamprimum possunt exequi ultimam voluntatem, nisi certum tempus ab ipso testatore sit designatum: Communis, arg. cap. Si hæredes 6. de testamentis, & leg. Cum res 47. ff. de legat. 1. ubi expresse præcipitur, ut legata sine mora præstentur. Vide verb. Legatum num. 41. & 42.

Tam Judex ecclesiasticus quam laicus potest compellere executores laicos ad exequendam voluntatem defuncti, sive dispositio sit ad causam profanam, sive ad causam piam, ita ut hæc causa sit mixti fori, & detur locus preventioni: Communis. Et quidem quod id possit Episcopus seu Judex ecclesiasticus, si dispositio sit ad causam piam, etiamsi testator sit laicus, habetur decisum in cap. Tua nobis 17. de testamentis; Et concordant cap. Nos quidem 3. & cap. Si hæredes 6. eodem. Et quod id possit etiam Judex laicus, quamvis dispositio sit ad causam piam, patet ex Novella 131. cap. 16. ibi: "Si quis edificationem Venerabilis oratorii, aut xenodochii, aut proclii, aut orphanotrophii, aut nosocomii, aut alterius venerandæ domus in novissima voluntate fieri disposuerit, compelleri jubemus providentia locorum Episcopi, & civilis Judicis." Quod autem id possit Judex laicus in casu, quo dispositio sit ad causam profanam, & testator, & executor sit laicus, est extra controversiam indubitatum apud omnes, quod verò in tali casu id possit etiam Episcopus, quamvis testator, & executor ipsius dispositionis ad causam profanam sit laicus, tenet (teste Covarr. loc. citat. num. 3. Reiffenstuel loc. cit. n. 789. Communis Doctores, arg. cit. cap. Si hæredes 6. de testamentis; ubi sine ulla distinctione an dispositio testatoris sit ad causam piam, vel profanam, & hæres, seu executor, sit laicus, vel ecclesiasticus, tribuitur Episcopo facultas compellendi hæredes, seu executores ad exequendam defuncti voluntatem, ibi: "Si hæredes jussa testatoris non adimpleverint, Episcopo loci illius omnis res, quæ eis relicta est, pænonice interdicitur cum fructibus, & ceteris emolumentis, ut vota defuncti adimpleantur."

Judex autem laicus nullimode compelli ad id potest executorem Clericum, cum Judici laico nulla competat Jurisdicção in personas ecclesiasticas: Communis, per text. in cap. Bene quidem 1. dist. 66. cap. Ecclesia Sanctæ Mariæ 10. de Constitutionibus, cap. Cum Laicis 12. de rebus Eccles. alienand. vel non,

non, cap. Decernimus 2. de Judiciis, cum similibus.

67 Judex præsertim ecclesiasticus statim post aditam ad herede hereditatem compellere potest executores, ut voluntatem defuncti executioni mandent, quamvis testator id expresse ei inhiberit; Communis, & quidem quoad primam partem, ex Juribus adductis supra numer. 63. juncta leg. Si domus 7. §. 2. ff. de Legatis 1. ubi cum executores jubeantur voluntatem defuncti statim adimplere, sequitur clare, quod possint ad id compelli. Quoad secundam partem, nempe quod executores possint ad id compelli, quamvis testator id expresse inhiberit, patet ex Juribus, & decretis adductis supra numer. 48. Et ratio est, quia privata persona non potest generalem constitutionem publici Juris ecclesiastici, vel civilis immutare, aut impedire: leg. Nemo 55. ff. de Legatis 1. ibi: Nemo potest in testamento suo cavere, ne leges in suo testamento locum habeant, & cap. Requisivisti 15. de testamentis, ibi: Quia privata dispositio testatoris non potest generalem constitutionem canonis immutare. (Vid. verb. Lex, in add. novis. & leg. 32. tit. 9. p. 6.)

68 Si plures sint a testatore deputati executores & unus in remotis existat seu exequi fore nolit; potest alius, etiam unus ex deputatis, nisi testator aliud disposuerit, officium executionis libere adimplere: Communis, textu expresso in cap. Religiosus executor 2. de testamentis in 6. §. Sane, ibi: "Sane pluribus a testatore simpliciter executoribus deputatis, uno eorum mortuo, vel in remotis agente, aut id exequi forte nolente, ne voluntatem testatoris impediri, vel nimium differri contingat, poterit alius, nisi testator aliud expresseverit, officium executionis injunctum libere adimplere."

69 Nulli executores, præter Summum Pontificem, nec Episcopi quidem, relicta ad certas pias causas in alios usus, vel causas, quamvis evidenter meliores essent, possunt ordinarie commutare, si voluntas determinata testatoris commode à jure adimpleri possit: Communis, per text. in cap. Nos quidem 3. de testamentis, cap. Ultima voluntas 3. caus. 13. quest. 2. Clementin. Quia contingit 2. de religiosis domibus, cum similibus.

70 An autem quando, & ob quas causas possit mutari ultima voluntas testatoris, præsertim quoad legata, aliasque pias causas, à Papa, & ab aliis? Vide verb. Legatum à num. 143. ad 165.

71 Executores, & hæredes intra quod tempus teneantur adimplere voluntatem testatoris, & quas penas incurrant, si negligentes fuerint. Vide d. verb. Legatum à num. 41. ad 46. & verb. Hæres à num. 44. ad 52.

72 Executores, & hæredes quibus, & quo ordine distribuere possint, & debeant Legata pia à testatore relicta? Vide d. verb. Legatum à num. 47. ad num. 95. & à num. 115. ad 132.

73 De executoribus testamentariis, de quibus & hic disserit Auctor, gravis est questio illa, utrum ipsi ubi sunt plures, conveniri in solidum queant de gesta administratione, tametsi non omnes administraverint?

74 Hanc autem questionem sibi proposuit Rota in Posnanien. Legatorum 6. Decembris 1748. cor. boni mem. Vicecomiti, & ita §. 7. & sequens. resolvit: "Constituto ex hisce de acceptatione executoriarum, & administratione hereditatis per Guglielmum exercita, inutiliter opponeretur, quod eidem saltem suffragari debebat beneficium ordinis, & excussionis, ut nempe conveniri quoque Administratores, qui administrant, conveniri debeant, quodque ipse pro illis duntaxat rebus hereditariis, quæ ad ejus manus pervenisse constet, remanserit obligatus. Objectum nempe plenissime confutatur ex eo quod quum agatur de executoribus, & Administratore voluntario, cum eo rigidius procedi solet, quia quum potuisset injunctum munus respicere, sibi debet imputare, si administrationem, prout debebat, non exercuit, ideoque nec beneficio ordinis, & excussionis jvari debet, sed etiamsi non administraverit in solidum conveniri potest &c. vel saltem exuberat, ut quid modicum, vel minimum de eadem administratione participaverit. Præcipue quia

»nulla haberet divisio hujusce administrationis, vel à »Judice, vel à Testatore facta; adeoque quemadmodum apud omnes individua fuit administratio hereditatis, ita quoque individua, & solidalis resultat eorum obligatio erga Legatarios. Nec unusquisque amplius excipere valet se rationem redditurum de bonis ad ejus manus perventis, quippe id procederet, ubi ageretur, de administratione particulari, & adesset divisio administrationis, vel à Judice, vel à Testatore facta: secus autem ubi administratio fuit omnibus generalis, & solidaliter attributa, & ab omnibus unitim acceptata. ¶

ARTICULUS IV.

Quoad ea, quæ concernunt codicillum, seu clausulam codicillarem.

SUMMARIUM.

- 1 Codicillus sic dicitur quasi parvus codex.
- 2 Codicillus quid sit.
- 3 Codicillus debet esse sine heredis institutione.
- 4 Potest tamen esse cum heredis institutione indirecta.
- 5 Ad codicillum requiruntur solum quinque testes.
- 6 Ad codicillum sufficiunt testes, sive masculi, sive masculi, sive rogati, sive non.
- 7 In codicillis parentum inter liberos, & ad pias causas sufficiunt duo testes.
- 8 Codicillum facere potest omnis, & solus, qui testari valet.
- 9 Codicillus fieri potest, tam in scriptis, quam sine scriptis, seu ore tenus.
- 10 Codicillus fieri potest absque testamento.
- 11 Item codicillus fieri potest cum testamento, & post illud jam factum.
- 12 Item codicillus fieri potest ante testamentum.
- 13 Ad hoc tamen ut valeat codicillus factus ante testamentum, requiritur, quod testator in testamento subsequenti illius confirmet.
- 14 Quamvis non possit quis duo testamenta facere, ita ut ambo valeant.
- 15 Potest tamen quis duos, vel plures validos codicillos facere.
- 16 Nec revocatur prior per posteriorem.
- 17 Dispositio dicentis se velle testamentum facere, si ex defectu solemnitatis non valet ut testamentum, neque valet ut codicillus, quamvis omnes solemnitates ad codicillum requisitæ concurrant, nisi talis dispositio clausulam habeat codicillarem.
- 18 Et idem est sentiendum, quamvis expresse quidem non dicat, quod testari velit, sed tamen heredem instituat, vel exheredationem faciat.
- 19 Si testamentum habeat clausulam codicillarem, quamvis ex defectu solemnitatis non valet ut testamentum, valet tamen ut codicillus.
- 20 Clausula codicillaris que sit.
- 21 Duplex est clausula codicillaris, expressa scilicet, & tacita, & que utraque sit.
- 22 Assignatur primus effectus clausule codicillaris.
- 23 Assignatur secundus effectus ejusdem, ad n. 24.
- 24 Assignatur tertius effectus ejusdem.
- 25 Testamentum minus solemne non potest vi dicte clausule codicillaris valere ut codicillus, nisi habeat saltem solemnitates ad codicillum requisitas.
- 26 Excepit tamen, nisi dispositio esset ad pias causas, seu inter liberos.
- 27 Assignatur ad quid sint introducti, & ad quid inseruntur codicilli.
- 28 Primus, qui codicillos introduxit, fuit L. Lentulus.
- 29 Alia ad rem, remissive.
- 30 Additiones subsequuntur, ad num. 35.
- 31 & alii passim. Unde codicillus est ultima voluntatis

testificatio sine heredis directa institutione, & solemnitate testamentaria: Est in re Communis, & desumitur ex tot. Titul. Inst. & Cod. & ex 1. ff. De Jure codicill.

3 Codicillus potissimum differt à testamento per illa verba: Sine heredis directa institutione: Testamentum enim non subsistit sine heredis directa institutione, ut supra probavimus art. 1. num. 3. per expressa Juris ibi adducta. Et contra codicillus debet esse sine heredis directa institutione, quia in codicillo neque hereditas directe dari, neque auferri alicui potest, textu expresso in §. Codicillis autem 2. Instit. de Codicillis, leg. Hereditatem 1. & leg. Si idem 7. Cod. de Codicillis, & leg. Quod per manus 10. ff. De Jure codicillorum. Et hoc: Ne confundatur Jus testamentorum, & codicillorum, ut expresse dicitur in cap. §. Codicillis.

4 Dicitur autem notanter: Sine directa heredis institutione, quia licet in codicillo nequeat hæres institui directe, potest tamen institui indirecte, quatenus nempe in codicillo potest relinqui fideicommissum, & sic hæres institui indirecte, prout contingit, si quis sine testamento decedens faciat codicillum, & in eo roget heredem ab intestato, ut hereditatem, vel totam, vel partem restituat alicui: In hoc enim casu hæres parere tenetur, quamvis Trebellanicam deducere possit: Communis, textu expresso in cit. §. Codicillis. 2. Inst. de codicillis, ibi: Nam per fideicommissum hereditas codicilli Jure relinquitur. Et concordat leg. Hereditatem 2. Cod. De codicillis.

5 Item codicillus spectatim differt à testamento per illa verba: Et sine solemnitate testamentaria, quia, ubi ad testamentum non privilegium requiruntur septem testes, ut patet ex dictis, & adductis Juribus supra art. 1. num. 14. & 32. ad codicillum requiruntur solum quinque testes. Et ubi ad dictum testamentum requiritur, quod testes sint masculi, & rogati, ut patet ex dictis, & adductis Juribus ibid. num. 15. 27. & 38. ad codicillum sufficiunt testes, sive masculi, sive masculi, sive rogati, sive non: Sic Communis Doctorum, per textum in l. Si quis 8. §. 3. Cod. de codicillis, ibi: "In omni autem ultima voluntate, excepto testamento, quinque testes, vel rogati, vel qui fortuito venerint, in eodem tempore debent adhiberi, sive in scriptis, sive sine scriptis voluntas conficiatur, testibus videlicet, quando in scriptis voluntas componitur, subnotationem suam accomodantibus." Et licet in allato textu, quod possint in codicillo testes esse etiam femine, non habeatur explicite, habetur tamen implicite, quia in requisito numero testium non requiruntur soli masculi, nec femine excluduntur, sicut in numero testium requisitorum ad testamentum, ut patet ex dictis, & adductis Juribus supra art. 1. num. 15. Ubi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, cap. Quia circa 22. de privileg. & leg. De pretio 8. ff. De Publiciana in rem actione. Et si id voluisset etiam pro codicillo, expressisset, uti expressit pro testamento, arg. cap. Inter corporalia 2. de translatione Episcop. §. Sed neque istud, cap. Ad audientiam 12. de Decimis; Ita Glossa in cit. leg. Si quis 8. Cod. De codicillis, Tuschus lit. C. conclus. 405. numer. 1. Baldus consil. 283. circa finem lib. 3. Reifstuelius lib. 3. Decretal. tit. 26. num. 711. ubi testatur de communi; (Vid. lit. B pag. 435. numer. 88. lit. C pag. 161. ante numer. 49.) Vid. verb. Testis art. 1. num. 47.

6 In codicillis parentum inter liberos, & ad pias causas sufficiunt duo testes: Ita Tuschus lit. C. conclus. 405. num. 11. Molina disp. 131. num. 8. Reifstuelius loc. cit. num. 712. & alii: Et ratio est clara, quia cum duo testes sufficiant ex dictis, & adductis supra art. 2. numer. 6. & 29. ad testamentum inter liberos, & ad pias causas, à fortiori sufficiunt ad codicillum, utpote ad sui formam minorem requirens solemnitatem, quam testamentum.

7 Codicillum facere potest omnis, & solus, qui testari valet: Communis, textu expresso in leg. Divi 6. ff. De Jure codicillorum, ibi: Codicillos is demum fa-

tere potest, qui & testamentum facere potest.

Codicillus fieri potest, tam in scriptis, quam sine scriptis, seu ore tenus: Communis, textu expresso in leg. Si quis 8. §. 3. Cod. De codicillis, ibi: Sive in scriptis, sive sine scriptis voluntas conficiatur.

Codicillus fieri potest absque testamento: Communis, per text. in leg. Non idcirco 4. Cod. de codicillis & §. Non tantum 1. Inst. de codicillis.

Item codicillus fieri potest cum testamento, & post illud jam factum: Communis, per text. in cit. §. Non tantum 1. Inst. de codicillis, & leg. Si quis 3. ff. De Jure codicillorum.

Item codicillus fieri potest etiam ante testamentum factum: Communis, per text. in cit. §. Non tantum 1. Inst. de codicillis. Ad hoc tamen, ut valeat codicillus factus ante testamentum, requiritur, quod testator in testamento subsequenti expresse illum confirmet: Communis, textu expresso in cit. §. Non tantum, ibi: "Sed cum ante testamentum factum codicilli facti erant, Papinianus ait, non aliter vires habere, quam si specialiter postea voluntate confirmetur."

Quamvis non possit quis duo testamenta facere, ita ut ambo valeant, cum per posterius rumpatur prius, textu expresso in §. Posteriore 2. Inst. Quibus modis testamenta infirmantur, ibi: Posteriore quoque testamento, quod Jure perfectum est, superius rumpitur, cum similibus: Potest tamen quis duos, vel plures validos codicillos facere, textu expresso in §. Codicillos autem 3. Cod. de Codicillis, ibi: Codicillos autem etiam plures quis facere potest, & leg. Divi 1. ff. De Jure Codicillorum, ibi: Codicillos & plures quis facere potest. Nec revocatur prior per posteriorem, nisi quatenus sibi contrarii sunt: Communis, per textum expressum in cap. Cum proponatis 3. Cod. de codicillis. Et ratio disparitatis est, quia in codicillis res singulares tantum relinquuntur, & ideo possunt quedam res relinqui in uno codicillo, & quedam alie in altero, & sic uterque potest subsistere absque contrarietate: In testamentis autem relinquuntur necessario hereditas, quæ est successio in universum Jus defuncti, leg. Hereditas 62. ff. De regul. Juris, ibi: Hereditas nihil aliud est, quam successio in universum Jus, quod defunctus habuerit, & ideo prius testamentum rumpitur per posterius, cum non possit utrumque subsistere cum tali contrarietate relicta integræ hereditatis.

Dispositio dicentis, se velle testamentum facere, si ex defectu solemnitatis non valet ut testamentum, neque valet ut codicillum, quamvis omnes solemnitates requisitæ ad codicillum concurrant, nisi talis dispositio clausulam habeat codicillarem: Communis textu expresso in l. Sæpissime 1. ff. de Jure codicillorum, ibi: "Sæpissime rescriptum, & constitutum est, eum, qui testamentum facere opinatus est, nec voluit quasi codicillos id valere, videri nec codicillos fecisse, ideoque quod in illo testamento scriptum est, licet quasi in codicillis poterit valere, tamen non debent."

Et idem est sentiendum, quamvis quis expresse quidem non dicat, quod testari velit, sed tantum heredem instituat, vel exheredationem faciat, quia sic faciendum præsumitur, quod testari voluerit, per text. in l. Non codicillum 14. Cod. De testamentis, ibi: "Non codicillum, sed testamentum aviam vestram facere voluisse, institutio, & exheredatio facta probant evidenter."

Dicitur autem notanter in conclusione: Nisi talis dispositio clausulam habeat codicillarem, quia si testamentum habeat talem clausulam codicillarem, quamvis ex defectu solemnitatis non valet ut testamentum, valet tamen ut codicillus: Communis, per textum in l. Si quis 8. §. 1. Cod. de Codicillis, & l. Ex ea scriptura 29. ff. Qui testamenta facere possunt.

Unde clausula codicillaris est, quam testator testamento apponit, & per eam expresse, vel tacite declarat, quod si sua ultima dispositio ex defectu alicujus solemnitatis non valeret ut testamentum, valeat tamen ut codicillus: Ita in re Communis.

Duplex igitur est clausula Codicillaris, expressa scilicet, & tacita. Expressa est, dum testator expresse dicit,

v. gr. Si hac mea dispositio non valet vi testamenti, vobis, ut valeat vi Codicillii. Tacita est, dum testator id non expresse, sed tacite, vel virtualiter innuit, dicendo, v. gr. Si hac mea dispositio non valet ut testamentum, volo, ut valeat omni meliori modo, quo potest: Sic Communis Doctorum, arg. l. Si quis 8. Cod. de Codicillis, l. Scapissime 1. ff. De Jure Codicillorum, & l. Ex ea scriptura 29. ff. Qui testamenta facere possunt, l. Si Jure 11. Cod. De testamentaria manumissione.

21 Effectus clausulae codicillaris, sive expressae, sive tacite, sunt plures, & praecipui sunt sequentes. Primus est, quod in casu, quo testamentum ex defectu alicujus solemnitate ad ipsum requisita est nullum vigore testamenti, valet nihilominus vigore Codicilli, seu ut Codicillus: Unde quavis haereditas institutio omnino irrita sit, tamen haeres ab intestato succedens tenetur solvere omnia legata, ac fideicommissa particularia in tali nullo testamento repecta, & hoc propter adjectam illam clausulam codicillarem: Communis, per text. in cit. l. Si quis 8. §. 1. Cod. De codicillis, cit. l. Si Jure 11. Cod. De testamentaria manumissione, & cit. l. Ex ea scriptura 29. ff. Qui testamenta facere possunt.

22 Secundus effectus est, quod si testator, carens haereditibus necessariis, in hujusmodi irrito, & invalido testamento instituat haerem extraneum, virtute dictae clausulae Codicillaris institutio directa vertitur in fideicommissariam, & proximi haereditas ab intestato tenentur restituere haeredi extraneo in tali irrito testamento per modum fideicommissi instituto totam haereditatem, sola pro se retenta Trebellianica: Jason in Authen. Ex causa 22. Cod. De lib. praeter. Tuschus lit. C. conclus. 404. & sequent. Layman. lib. 3. tract. 5. cap. 8. num. 4. Gailus lib. 2. Observ. 11. Reiffen. loc. cit. num. 720. & alii communiter, per text. in l. Ex ea scriptura 29. ff. Qui testamenta facere possunt, l. Scévola 76. ff. Ad reatus consult. Trebellian. l. Si frater 5. Cod. De fideicommissis, & l. Si quis 8. Cod. de codicillis.

23 Item si testator haerede necessario scienter praeterito, vel injuste exheredato in tali testamento nullo instituat haerem extraneum, virtute dictae clausulae codicillaris tenetur haeres necessarius restituere d. instituto haeredi extraneo totam haereditatem, sola retenta pro se legitima, & Trebellianica simul: Ita Clarus §. Testamentum q. 46. Observ. 11. Reiffen. loc. cit. n. 1. Gailus loc. cit. n. 3. dicens hanc conclusionem esse indubitabilem, Layman loc. cit. cum Molina disp. 132. Reiffen. loc. cit. num. 721. & ipso teste Communis aliorum, arg. citatis Juribus.

24 Tertius effectus est, quod haeres institutus in tali testamento possit pro libitu agere, vel ex testamento, vel in vim codicilli, id est, possit vel vi testamenti petere totam haereditatem in ipso sibi relictam; vel tamen testamentum non subsistere, agere in vim codicilli, & vi illius petere, ut haereditas per modum fideicommissi sibi restituatur, cum hac tamen advenientia, quod, si haeres institutus inceptit agere ex testamento, non possit amplius variare, & haereditatem petere in vim codicilli, nisi esset ex agnatis usque ad quartum gradum, vel ex cognatis usque ad tertium gradum: Communis, text. expresso in l. Si quis 8. §. 1. & 2. Cod. De codicillis, ibi: "Illo electionis videlicet perdurante, ut, qui ex testamento agere voluerit, ad fideicommissum migrare non possit. Si vero ex parentibus utriusque sexus, ac liberis usque ad quartum gradum agnationis vinculis alligatus, vel cognationis nexu constrictus usque ad tertium scriptus haeres fuerit, vel nuncupatus, in eo videlicet testamento, quod testator vicem quoque codicillorum voluit obtinere, licebit ei, si de haereditate ex testamento secundum mortui voluntatem agens fuerit superatus, vel certe ipse sponte voluerit, ad fideicommissi subsidium convolare."

25 Testamentum autem minus solemnne non potest vi dicte clausulae codicillaris valere ut codicillus, nisi habeat saltem solemnitates ad codicillos requisitas, neque quod interfuerint quinque testes, & adhibiti fuerint uno, eodemque tempore, & si in scriptis conficiatur codicillus, dicti testes suam subnotationem interposuerint, ut patet ex leg. Si quis 8. §. 3. Cod. De codicillis, & ex

dictis supra num. 6. Excepe tamen, nisi dispositio esset ad pias causas, seu inter liberos, quia tunc sufficerent duo testes, ut patet ex dictis supra num. 7.

Ad complementum de codicillis advertendum est, quod codicilli introducti fuerunt, & praecipue inseriuntur ac fideicommissa, & legata relinquenda. Item ad testamentum declarandum, immutandum, minuendum, augendum, si addendum, vel demendum, & hujusmodi, salva semper tamen haereditas institutione, cum haereditas per codicillum nec dari, nec adimi possit, ut patet ex §. codicillis autem 2. Instit. de codicillis, & leg. Haereditatem 2. Cod. de Codicillis. Et primus, qui codicillos introduxit, fuit Lucius Lentulus, ut expresse habetur in principio Instit. de Codicillis, ibi: "Ante Augusti tempora constat codicillos in usu non fuisse, sed primus Lucius Lentulus (ex cujus persona etiam fideicommissa esse ceperunt) codicillos introduxit."

Alia ad rem: Vide verb. Fideicommissum, verb. Legatum.

Solet clausula codicillaris apponi testamentis rusticorum, mulierum, & aliorum, qui ejus vim haud intelligunt. Quaestio propterea est, an ea in hisce testamentis expressa effectus suos perdat?

Sunt qui negant, idque quia quum persona haec clausulam, ejusdemque effectum ignorent, hinc non presumuntur rogasse haerem ab intestato, ut in vi clausulae illius praestanda praestet. Vide quos pro hac sententia citat doctores Turret. de effect. & defect. claus. codicill. q. 9. n. 3.

Affirmativa tamen prevaluit sententia. Mox dictae enim personae adhibendo Notarium censetur eum rogasse, ut ita condat testamentum, quo omni meliori modo subsistere possit. Jam ergo non commodius sustinetur quam per clausulam codicillarem. Ergo ut hanc quoque addant voluisse videntur. Qui enim vult finem, censetur etiam voluisse media ad finem conducentia. Quapropter clausulam codicillarem semper per voluntatem Testatoris adjectam praesumi, tradunt post alios Carpov. lib. 6. Respons. 7. per tot. Castill. lib. 4. de conjectur. ultim. volunt. cap. 49. num. 27. &

ARTICULUS V.

Quoad ea, quae concernunt revocationem, seu mutationem, irrationem, raptionem, & destitutionem Testamenti, & Codicilli.

SUMMARIUM.

1 Usque ad mortem potest testamentum revocari, quomodocumque sit factum: sed si revocare sub juramento promiserit; inter conjuges, quid, si fuerit factum, & aliter, alio ignorante, illud revocaverit, ad num. 15.

16 Verbis, & factis an revocatur: quae ad ejus revocationis subsistentiam requirantur: casus varii recensentur, quando factis intelligitur revocatum: an sit necesse ut secundum rite sit conditum; quid in privilegiato, ad num. 33.

34 Non solum testamenta revocantur, sed irritantur, rumpuntur, ac destituuntur: quid sub omnibus comprehendatur: non solum testamenta sed etiam ultime voluntates, videlicet legata, codicilli, & donationes mortis causa revocari possunt, ad num. 38.

39 Modi fere omnes numerantur per quos legata queunt revocari, ad num. 49.

40 Additiones subducuntur, ad num. 55.

Quilibet testator potest usque ad mortem semper, & pro libitu suum testamentum, & codicillum penitus revocare, aut mutare; Sic Doctores communiter per clarum textum in leg. Quos si 4. ff. de adimendis legatis: Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad vitam supremam exitum; & novissima ipsius voluntas est servanda, textu expresso in leg. Translatio 6. ff. de adimendis legatis, ibi: Novissima enim voluntas servatur: Et sic Rota recent. parti. 4. tom. 2. dicit. 456. num. 16. pag. 10. dicit. 103. num. 33. & 34. & saepe alibi.

Etiam.

2 Etiam si promiserit, seu pacto se obligaverit de non revocando, aut mutando; Com. per text. in citat. leg. Si quis 22. ff. de legatis 3. Nemo enim, ut expresse ibi dicitur, eam sibi potest legem dicere, ut a priori (voluntate) ei recedere non liceat; si expresse Glossa in cap. Cum Marthae 6. verb. Non valet, de celebr. missar. ibi: Unde potest mutari testamentum etiam si pactum intervernerit, ne possit mutari, per text. in leg. Pactum, quod dotali 15. Cod. de pactis.

3 Et etiam si fuerit a Principe confirmatum; Sic expresse Glossa in cit. cap. Cum Marthae verb. Non valet per text. in leg. Omnium testamentorum 19. Cod. de testamentis, quia, dicit Glossa ibid. Nemo hanc legem sibi dicere potest, ut a priori testamento sibi recedere non liceat, per cit. leg. Si quis 22. ff. de legat. 3.

4 Dummodo tamen in posteriori testamento mentionem faciat, quod non obstante tali obligatione, seu promissione de non revocando, velit revocatum testamentum prius; leg. Si mihi & tibi 12. §. fin. & ibi Glossa verb. Non valet ff. de leg. 1. & cit. leg. Si quis 22. ff. de legatis 3. ubi, postquam dictum est: "Nemo enim eam sibi potest legem dicere, ut a priori ei recedere non liceat," statim subiungitur: "Sed hoc ita locum habebit, si specialiter dixerit prioris voluntatis sibi penitus." Sic Fachinetus lib. 4. cap. 29. Reiffenstuel lib. 3. Decret. tit. 26. num. 730. Menochius lib. 4. praesumpt. 166. num. 25. & 26. ubi plurimos alios citat, verumque asserit hanc esse receptam, & communem sententiam, contra Bart. in leg. Si quis 22. num. 9. ff. de leg. 3. Fabrum, Morandum, & alios volentes etiam, ut sine mentione prioris clausulae derogatoriae possit revocari, vel censeatur revocatum per posterius testamentum.

5 Non est tamen necessaria talis mentio, si testator posterius testamentum juramento confirmet; Covarrubias de testam. parti. 2. Rubr. num. 59. Molina disp. 153. num. 26. Reiffenstuel. loc. citat. num. 740. & ipso teste communis aliorum, quia tunc merito praesumitur poenitere prioris voluntatis; quamvis nullam poenitentiam mentionem faciat prioris testamenti, aut clausulae derogatoriae prioris voluntatis eidem insertae.

6 An autem revocari possit testamentum, quod testator juramento confirmavit se nullatenus revocaturum? Variant Doctores. Communior, & probabilior Canonistarum tenet, quod tale testamentum saltem licite revocari nequeat; Glossa in cap. Ultima voluntas 4. caus. 3. quest. 2. Quis, ut dicit ipsa, hoc juramentum non vergit in interitum salutis aeternae, ergo est servandum, ut Extrav. de iurejurando, Si vero, Molina loc. cit. Reiffenstuel loc. cit. num. 741. Albert. leg. 1. C. de Sacros. Eccles. & ipso teste apud Clarum §. Testamentum quest. 93. num. 3. Communior Canonistarum arg. cap. Si vero 8. & cap. Cum contingat 28. de iurejurando, ubi universaliter decernitur, quod omne juramentum, quod non vergit in praedictum tertii, nec in interitum salutis aeternae, sit omnino servandum, & adimplendum, quamvis caderet super actu legibus infirmato, ut expresse habetur in Summario dicti cap. Cum contingat, ibi: Juramentum praesertim super actu a lege infirmato. Legista autem defendit communiter, quod tale testamentum adhuc revocari possit, uti asserunt, & tenent Clarus §. Testamentum quest. 94. num. 3. Alexander in leg. Stipulatio hoc modo numer. 1. ff. de verb. oblig. Dauth. de mut. testam. numer. 89. & seq. arg. cit. leg. Si quis 22. ff. de Legat. 3. 4. art. 3. Et id expresse statuitur in iure Bavarico, teste Land. Rechet. tit. 34. art. 15. Quae Legistarum opinio admittenda revera est in casu, quo gravis prius non praevia emergeret mutatio circumstantiarum, ut si graves inter testatorem, & haerem ortae essent non praevise inimicitiae, & hujusmodi: juramentum enim sicuti & ceteri actus tacitam includunt conditionem, rebus sic stantibus, prout tenet communis Doctorum, arg. cap. Quomodocumque 25. de iurejurando: Ubi expresse dicitur, quod licet quis juraverit certam ducere uxorem, eam ducere non teneatur, si post juramentum mulier illa meretrix, vel

FERRAR. BIBLIOT. TOM. IX.

leprosa, aut paralytica ferret, aut oculos, vel nasum amitteret, seu quidquam ei turpius eveniret, ibi: "Quoniam in eo talis erat subintelligenda conditio, si videlicet illa in legem conjugii non peccaret... Quia in illo juramento talis debet conditio subintelligi, si videlicet contra regulam desponsationis non venerit &c." Et sic expresse tenet ibi glossa verb. Conditio plurimas adducens similes condiciones in juramentis tacite subintellectas, & in utroque jure tum canonico, tum civili admissas. (Verb. juramentum).

7 Etiam testamentum reciprocum, seu mutuum factum inter conjuges, seu inter duas, aut plures alias personas nulla ratione conjunctas, potest a quovis conjugum, seu quavis ex illis personis pro sua parte libere revocari, etiam inscio, vel invito altero conjugum, seu inscia, vel invita altera persona; Sic Gailus lib. 2. observ. 117. numer. 2. Peck de testam. conjug. l. 1. c. 43. Botlick in aureis decision. decis. 62. Mynsinger cent. 1. observ. 8. numer. 5. Reiffenstuel l. cap. num. 381. & ipso teste communissima aliorum, per text. in citat. leg. Si quis 21. ff. de Legat. 3. ubi expresse dicitur: Nemo enim eam sibi potest legem dicere, ut a priori (voluntate, seu testamento) ei recedere non liceat: Et ratio est, quia ambulatoria est voluntas defuncti usque ad vitam supremam exitum, textu expresso in leg. Quod si 4. ff. de adimendis legatis. Testamentum enim non est firmum, nec effectum aliquem habet, quia nihil valet ante mortem testatoris, ut expresse habetur in Epistola ad Hebraeos cap. 9. num. 10. & 17. ibi: "Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris: Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est." cap. Cum Marthae 6. de celebrat. missarum, leg. Cum hic status 32. ff. de donationibus inter virum, & uxorem cum similibus.

8 Et id valet non solum in casu, quo unus conjugum, seu una ex illis personis jam obiit, sed etiam si ambo, vel ambae adhuc vivant, sive dein alter conjux, seu altera persona revocationem sciat, & consentiat, sive nesciat, & contradicat: Valor enim testamenti, neutiquam dependere potest a voluntate, seu arbitrio alterius, textu expresso in leg. Illa institutio 32. ff. de haereditibus instituendis, ibi: "Nam satis constanter veteres decreverunt, testamentorum iura ipsa per se firma esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere." Sic supra cit. Doctores cum communis aliorum.

9 Item id etiam valet, quamvis in una, & eadem charta reciprocum, seu mutuum testamentum conscripserint, seu scribi fecerint. Licet enim una sola charta, nihilominus duplex distinctum, ac separabile censetur esse, & est testamentum, ita ut quivis de suis bonis praesumat testamentum fecisse, & consequenter pro sua parte potest illud denuo libere revocare, per omnia allegata, & similia jura; Sic cum communi supra laudat Doctores.

10 Quando una pars clandestine suum revocat testamentum reciprocum, censetur etiam altera tacite revocasse & suum, seu post statim illud exprasse censetur; Sic Menochius de praesumpt. lib. 4. praesumpt. 65. num. 20. Peck l. c. Reiffenstuel l. c. num. 382. & alii. Et ratio est, quia hujusmodi reciproca, & mutua testamenta censentur, & praesumuntur ordinarie facta sub spe, & tacita conditione, quod nullus ante mortem alterius testamentum revocare, sed potius unus alteri in eventum mortis tali testamento favere velit: Actus autem agentium non operatur ultra intentionem, & voluntatem eorum; leg. Non omnis 19. ff. de rebus creditis si certum petatur, cap. Cum olim 38. de prebend. & factus sub conditione celebratus, conditio non impleta, nullum operatur effectum, arg. §. Sub conditione 4. Instit. de verb. oblig. & leg. un. §. Sin autem Cod. de caducis tollend. cum similibus: Idem habetur in statutis Bavariae tit. 3. art. 3. ubi universaliter statuitur, quod si unus conjugum testamentum inter eos reciproce factum clandestine revocet, etiam alterius testamentum revocatum censetur, & quidem

F

me-